



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 57. Fœdus inter Galliarum Regem, & Ludovicum Sfortiam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. A C 1493. versutissimi, huncque, ut proprium Ne-
 potem suum principatu deturbaret, om-
 nia divina humanaque jura pessumdare,
 ejusque perfidiam toti Italiæ satis com-
 pertam esse, forte etiam Gallos, etsi pro-
 spero Marte pugnarent, plus periculi in
 Franciam redeundo, quam laboris in ex-
 pugnando Neapolis regno subituros.
 Horum rationibus Brissonnetus adeo de-
 victus permansit, ut suam imprudentiam,
 qua Regi consilii tam temere ac in-
 consulte suscepti auctor extiterat, ipse
 incusaret. Nihilominus Carolus præ ce-
 terorum Ministrorum monitis potiora
 habebat Versii Belloquadrensis Præfecti
 consilia, hinc concepto expeditionis pro-
 posito immotus adhæsit.

§. LVII.

*Fœdus inter Galliarum Regem, &
 Ludovicum Sfortiam.*

Haud parum Galliarum Regem in sua
 sententia firmabat continua sollici-
 tatio Principis Salernitani, Bernardini
 de Bisfiniano, aliorumque Procerum Nea-
 politanorum, qui Regno exules in Gal-
 lias confugerant. Ergo foederis pacta
 eriguntur, Carolo Rege inter præcipuos
 articulos spondente, se nullatenus Me-
 diolanensem Ducatum invasurum, sed i-
 bidem Ludovico jus, auctoritatemque conser-

conservaturum, ac in regiæ tutelæ pi-
gnus se, postquam Mediolanum transi-
set, ducentos Lancearios relicturum in
urbe Astensi Aurelianensis Ducis impe-
rio subjecta, eique occupato Neapolis
regno, Tarentinum Principatum cessu-
rum. Ludovicus vicissim pollicitus est,
se Carolo, priusquam cum exercitu suo
e Gallis moveret, ducenta aureorum
millia mutuo daturum, unice in stipendia
militum suorum expendenda, postquam
vero Mediolani Ducatum reliquisset, se
ejus copiis quingentos quoque junctu-
rum Lancearios, ejusdem Ludovici im-
pensis usque ad belli exitum alendos;
huic exercitui liberum se concessurum u-
bique transitum, ac fluviorum trajectio-
nem, ac denique ad Genuensium portus
pro Gallicæ classis securitate, totidem,
quot libuerit, naves advehere, Franco-
rum Regi integrum fore.

§. LVIII.

*Bellicus Neapolitani Regis apparatus
adversus Gallos.*

Ferdinandus, cujus capiti hæc procella
imminebat, totus in eo erat, ut re-
centem conscriberet militiam, munitiora
lustraret loca, eaque præsiidiis firmaret,
ac divisis undique copiis vias obsideret,
præcipue ut a cunctis, qui mutuas offe-
rebant,